



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo  
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm  
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

**Mezger, Paul**

**Augustæ Vindelicorum, 1695**

Disputatio XI. De conscientia rectâ & erronea.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)



dividitur in bonam & malam. Nam conscientia regular & dirigit operationem humanam sub ratione bonitatis & malitiae moralis, quae proinde in operatione subiecta conscientiam extrinsecè specificat. Sicut ergo non datur medium inter operationem humanam bonam vel malam in individuo, prout aliunde suppono; ita non datur medium inter conscientiam bonam, de qua Apost. 1. ad Timoth. c. 5. & 19. & malam, quam Apostolus etiam vocat *cauteriatam*, & *inquinatam*. ibid. c. 4. & 2. & ad Tit. 1. 15.

Dicendum secundò: Ex modo assentiendi, adequatè potest conscientia dividi in certam & opinativam. Nam assensus ultimus conscientiae aut est cum formidine, aut sine formidine oppositi; [cum enim hæc sint contradictoriè opposita, inter illa non datur medium] si sine formidine, conscientia est certa (intellige ex modo assentiendi) si cum formidine, est opinativa.

Neque dicas: assensum posse esse dubium. Nam contrà est. Vel intelligis per dubium suspensionem determinati iudicii, uti propriè & rectè loquendo debet intelligi, & tunc ne quidem est assensus, contra hypothefin. Vel intelligis assensum determinatum ad alteram partem contradictionis, cum formidine tamen oppositi & tunc abuteris voce dubii, illudque confundis cum assensu opinativo & probabili.

Dicendum tertio: Intrinsecè & adequatè conscientia dividitur in veram & falsam. Aut enim operatio est talis, qualis dicitur per conscientiam, aut non est talis, nec datur medium: si est talis, conscientia est vera; si non, conscientia est falsa. Quod si conscientia vera rigorosius accipitur pro illa sola, quæ est conformis operationi, tam formaliter quàm materialiter spectatæ, tunc habet pro membro opposito omnem conscientiam seu vincibiliter seu invincibiliter erroneam. Si verò sit conformis operationi solum formaliter spectatæ, tunc conscientia invincibiliter erronea pertinet ad conscientiam veram & rectam, istiusque oppositum erit solummodò conscientia vincibiliter erronea.

§. III.  
Corollaria.

EX dictis infero primò: Conscientiam dubiam non esse propriè & formaliter, sed tantum

reductivè conscientiam, & ut Layman vocat, *umbra conscientiae*: quia conscientia formaliter consistit, in practico iudicio, dictamine, regula operandi: atqui dubitans nihil concludit, nihil iudicat, assentitur, dicitur, præcipit, sed hæret ambiguus: ergo dubitans, antequam deponat dubium, non format propriè & formaliter conscientiam. Reductivè tamen dici solet conscientia, quia saltem potest esse inchoatio discursus practici, ad aliquod illativum dictamen tendentis & conantis.

Infero secundò. Cùm conscientia ex depositione dubii vel formidinis transit in certam, non amplius propriè & intrinsecè, sed tantum secundum quid & extrinsecè appellari dubiam, vel probabilem; non enim amplius hæsitatio, vel formido se tenet ex parte ultimi assensus practice practici, quem supponimus esse certum, sed ex parte iudicii præsuppositi, quod respectu istius ultimi tantummodò est speculativum, nec impedit certitudinem, ut ex dicendis constabit.

Infero tertio. Conscientiam timoratam, suspiciosam, scrupulosam facile reduci posse ad dubiam, vel erroneam. Nam quatenus conscientia timorata & suspiciosa ex levibus fundamentis dubitat, utrum aliqua operatio sit licita, pertinet ad conscientiam dubiam, & siquidem deponit suspitione & dubio, remanente solum aliqua speculativa anxietate, operetur, erit conscientia intrinsecè certa: si autem vi istius fluctuationis ad nullum determinatum iudicium procedat, erit intrinsecè & formaliter dubia: Rursus scrupulosa vel ex levissimis fundamentis falso iudicat, aliquam operationem esse illicitam, sicque est erronea; vel nihil iudicat, sed tantum hæsitat inter utrumque sicque est conscientia dubia, eique superaddit accidentalem differentiam anxietatis. Unde patet, vulgarem illam conscientiae divisonem in quinque membra, rigori Dialectico non esse admensam, nec ideo tamen rejiciendam, eò quòd omnes modos circa formandum dictamen conscientiae comprehendat, sitque communi usu loquendi recepta.

## DISPUTATIO XI.

DE

### Conscientia recta & erronea.

UTramque in unam considerationem jungimus: nam & in obligatione conveniunt, & erronea, si ex invincibili errore procedat, est practice certa & recta, ac tandem oppositorum eadem est disciplina.





## ARTICULUS I.

## Unde Conscientia sit vera &amp; recta?

## SUMMARI A.

1. Conscientia dirigens honestatem operationis moralis debet esse certa tanquam actus prudentia.
2. Et participatio legis Divinae.
3. Ad hoc sufficit certitudo moralis.
4. Quam aliqui desumunt ab objecto.
5. Alii verius per habitudinem ad appetitum rectum.
6. Dupliciter considerari potest iudicium conscientiae.
7. Primum dictamen rationis unde habeat suam rectitudinem?
8. Enuntiatio ut speculativa habet veritatem ex objecto, non ut practica.
9. Imò habet etiam in practica, sed ut considerata in esse regulabilis.
10. Ex quo non sequitur circulus vitiosus.
11. Conscientia invincibiliter erronea est nihilominus recta.

## §. I.

## Exponitur status questionis.

1. Quidquid in humana operatione honestum, aut virtuosum est, à prudentia omnium virtutum directrice regulatur, ideoque necesse est, ut illa conscientia, quae proximè dirigit honestatem operationis moralis, sit infallibiliter recta, vera, & certa certitudine tam objectivà, seu ex parte objecti, ut nempe illud sit licitum, quod dicitur licitum; quam formali, excludente omnem formidinem oppositi ex parte assensûs; siquidem prudentia seu virtus intellectualis, quâ anima verum dicit affirmando, aut negando, juxta Philos. in 6. Eth. requirit actum & objectum certum, ne cum opinione confundatur: sed conscientia, quae est proxima regula actus liciti & honesti, est actus prudentiae: ergo debet esse certa & vera.
2. Præterea conscientia recta est participatio legis Divinae, & ab illa tanquam à sua causa exemplari derivata & exemplata; juxta illud Psal. 4. Signatum est super nos lumen vultûs tui Domine. In quâ verba Doct. Angel. Quasi diceret lumen rationis, quod in nobis est, in tantum nobis potest ostendere bonâ, & nostram voluntatem regulare, in quantum est lumen vultûs tui, id est, a vultu tuo derivatum. Atqui regula exemplata debet esse conformis suae regulæ exemplanti: cum ergo regula exemplaris Divinae legis sit infallibilis, vera, & certa, talis etiam est conscientia recta.
3. Certitudo tamen ista ad prudens rectæ conscientiae dictamen requisita, non debet esse logica, physica, aut metaphysica; ita ut inspectis omnibus rationibus impossibile sit rem aliter se habere, sed moralis, ut nempe attentis hominum moribus, usu, consuetudine, iisque, quae ut plurimum eveniunt, vix sit possibile rem aliter se habere, quamvis juxta communes rationes res seculis accidere, aut de facto aliquando, sed raro aliter accidat. Ita attestatio publici Notarii, vel proprii Parochi in scripto parit certitudi-

nem moralem, quia, licet utique non repugnet, ipsum falsum dicere, tamen Notarius ut persona publica, & Parochus ut Pastor animarum ad attendendum in re gravi requisiti, fallere & mentiri non præsumuntur. Hanc moralem certitudinem conformiter ad mentem Philos. in 1. Eth. c. 1. agnovit & requisivit in moralibus Doct. Angelicus in 2. 2. q. 60. a. 3. ad 1. dicens: In humanis actibus invenitur aliqua certitudo, non quidem sicut in demonstrativis, sed secundum quod convenit tali materia.

Hinc verò exoritur dubium, undenam petenda sit veritas, & rectitudo conscientiae? Pluribus quos citat Ildefons. Casaraug. q. 19. disp. 109, videtur esse desumenda ab objecto: nam omnis iudicii enuntiativi veritas sumitur per ordinem ad objectum; ex eo enim, quod res est, vel non est, enuntiatio redditur vera vel falsa, absolute pronuntiat Aristot. l. 1. perihem. c. 8, sed conscientia est quoddam iudicium enuntiativum: ergo.

Nec refert, quod sit practicum, nam etiam in medicina, Philosophia morali, Theologia [quae formaliter non tantum est speculativa, sed etiam practica] veritas enuntiationis delimitur per habitudinem seu conformitatem ad res. Haec tamen opinio non potest subsistere; nam qui operatur ex conscientia in vincibiliter erronea, rectè, honestè, virtuosè operatur: ergo etiam ex presenti dictamine Conscientiae rectae operatur: at qui istud dictamen non est conforme objecto; dicitur enim, objectum esse licitum & consonum legi aeternae, vel etiam à lege præceptum, quod tamen à parte rei est illicitum, dissonum legi aeternae, & ab illa prohibitum: ergo rectitudo conscientiae non semper accipi potest ex conformitate ad objectum. Antecedens ex communis Theologorum sententia est certum, saltem in conscientia errante ex invincibili ignorantia facti: ita enim honestè, justè & laudabiliter Jacob accessit ad Liam, quam invincibili errore deceptus existimabat esse suam.

## § II.

## Sententia desumens rectitudinem conscientiae ab appetitu recto.

Aliorum igitur verior sententia est, veritatem & rectitudinem conscientiae non esse desumendam per habitudinem ad objectum, sed ad ipsas res, sed per habitudinem ad appetitum rectum. Ita Aristot. l. 6. Eth. c. 2. dicens: *Altera mentis veritas est consentanea appetitui recto.* Quem exponens Doct. Angel. lect. 2. Bonum, licet, praecepti intellectus non est veritas absoluta, sed veritas consequenter se habens, id est, consentanea ad appetitum rectum. Et in 1. 2. q. 111. a. 1. ad 2. In his autem, quae sunt ad finem, rectitudo rationis consistit in conformitate ad appetitum suum debiti.

Ratio petitur ex differentia, quae est inter iudicium speculativum & practicum; nam veritas iudicii



judicii speculativi non est causa & mensura veritatis in suo objecto, uti e contra veritas judicii practici est causa & mensura veritatis in suo objecto. e. g. artefactum & ideatum habet suam veritatem per conformitatem ad regulas artis & exemplar ideæ; ipsa verò idea vel regula artis non habet suam veritatem per conformitatem ad artefactum & ideatum, sed ad finem intentum ab artifice. Cùm ergo conscientia sit judicium practicum prudentiæ, regula & mensura actuum humanorum, non tam ipsa rectitudinem ab actu præscripto, vel objecto ipsius, quàm actus & objectum à recta conscientia accipit: unde illa voluntas dicitur recta, quæ est conformis dictamini rectæ rationis.

Habet igitur pro sua mensura rectificante appetitum rectum non qualemcumque, ne committatur vitiosus circulus, si dicitur electio alicujus operis esse recta propter rectam electionem, & conscientia esse recta propter rectam electionem; sed (exponente S. D. ubi supra) appetitum finis debiti, & quidem vel maxime finis ultimi, ita ut illud judicium dicatur rectum [ prout explicat Jul. Mercorus p. 1. a. 3. ] quod invincibiliter inferatur ex principiis moralibus ab homine sincere affecto erga finem ultimum, & invincibiliter existimante, tale opus esse conforme Divinæ legi creaturam rationalem dirigenti in finem ultimum.

6. Unde actus conscientiæ sub duplici ratione considerari debet. Primò ut est judicium enuntiativum intellectus, sicque speculativo modo consideratur, & adinstar aliarum cognitionum veritatem habet per commensurationem ad objectum, erique conscientia speculativè vera, si objectum secundum se est tale, prout enuntiat: erit speculativè falsa, si objectum non sit tale. Secundò consideratur ut est regula proxima instructiva & applicativa Divinæ Legis ad particularem operationem, sicque consideratur modo practico cum dependentia à voluntate debiti finem intendente, & sub hac consideratione habet rectitudinem & veritatem practicam per commensurationem ad debitam intentionem finis: sicque illa erit conscientia recta, quæ ex applicatione voluntatis debitum finem intendenti rationabiliter & invincibiliter judicat, talem actum & objectum esse medium proportionatum illi fini intento. e. g. Jacobi conscientia dictans accessum ad hanc foeminam sibi esse licitum, recta erat, quia ex recta intentione finis ultimi, & studio obsequendi divinæ voluntati invincibiliter judicavit procreationem liberorum ex hac foemina hic & nunc esse licitam, & conformem voluntati divinæ.

7. Inquis. Ipsa voluntas vel appetitus finis ultimi, unde habet rectitudinem nisi à prævia regula intellectus & rationis, cujus munus est dirigere? Et unde illa regula habet rectitudinem? si ab appetitu finis ultimi, committitur circulus; si ab objecto, ergo rectitudo conscientiæ etiam haberi poterit ab objecto. Respondetur: Quòd primum dictamen rationis regulans appetitum finis ultimi accipiat suam rectitudinem per commensurationem ad legem divinam, à qua derivatur & exemplatur, quemadmodum aliæ quoque

formæ ideatæ & exemplatæ suam veritatem ab exemplari recipiunt.

Ad fundamentum contrariæ sententiæ n. 3. relata Respondeo, omnem enuntiationem etiam practicam, ut est enuntiatio & judicium quoddam speculativo modo se habens [ quales etiam sunt actus Theologiæ, Jurisprudentiæ, scientiæ moralis &c. ] veritatem suam obtinere ex conformitate ad objectum, non autem omnem enuntiationem practicam, ut practica est. Nam inter practicas aliquæ sunt, quæ versantur circa objectum in universali, ac proinde nulli mutationi subiectum, veluti sunt veritates scientiarum practicarum: e. g. dare elemosynam est honestum, fornicari est illicitum &c. aliæ verò sunt, quæ habent objectum particulare, & versantur circa res contingentes & singulares. v. g. nunc actus poenitentis est eliciendus, nunc est jejunandum, hic poenitens est absolvendus, hæc hostia adoranda, hic & nunc est licitus &c. Illæ, quia respiciunt objectum immutabile, ad modum aliarum cognitionum intellectus speculativi suam veritatem accipiunt à conformitate ad objectum. Illæ, quia respiciunt objectum affectum aliquâ singulari circumstantiâ & connotatione particularis exercitii, quod subiacet mutationi à conformitate ad objectum, immobilem & infallibilem rectitudinem, qualem tamen requirit prudentia, habere non possunt: ideoque illam accipiunt à conformitate ad finem intentum, quo modo regula artificis suam rectitudinem non accipit ab artefacto, sed ex conformitate ad finem artificis: neque enim regula ædificanda domus, est recta propter conformitatem cum domo, sed propter conformitatem ad finem architecti, quia nempe architectus, judicans domum taliter extruendam, format judicium proportionatum ad finem domus extruendæ à se præintantum.

## § III.

*Ultimata resolutio.*

CLarius, minori obscuritate, consequenter ad 9. supra dicta, & ad utramque opinionem concordandam dices, veritatem & rectitudinem Conscientiæ desumi ab objecto non materialiter in esse rei & quoad se considerato, sed formaliter in esse objecti regulabilis & quoad nos, uti scientia veritatem accipit ab objecto spectato in esse objecti scibilis: tunc enim regulabilitas objecti superaddit connotationem ad intellectum practicum, tali objecto primam regulam Divinæ legis applicantem, & invincibiliter existimantem tale objectum esse proportionatum rectæ intentioni finis ultimi. Sic Conscientia Jacobi dictans, accessum ad Liam, quam invincibiliter existimabat esse uxorem, hic & nunc esse licitum, vera & recta erat, etiam per ordinem ad objectum: quia licet hoc objectum, nempe accessus ad Liam materialiter, absolute & à parte rei non esset licitus, nec conformis legi Divinæ, cùm Lia hic & nunc non esset sua uxor, & sic etiam conscientia Jacobi fuerit speculativè falsa, tamen hoc ipsum objectum formaliter consideratum in esse regulabilis, erat licitum, honestum, justum, quia ut sic substabat apprehensioni intellectus, accessum ad Liam invincibiliter representantis tanquam



tanquam à DEO concessum, & proportionatum Divinæ legi.

10. Dices primò. An hinc non sequatur vitiosus circulus, si opus sit rectum per ordinem ad regulam Conscientiæ, ipsa quoque Conscientia sit recta per ordinem ad opus rectum, tanquam proprium objectum? Respondeo non esse circulum vitiosum, quia in diverso genere, modoque causandi. Opus quippe rectum denominatur, quasi passivè à conscientia regulante in ordine causæ idealis & directivæ, uti fit in artefactis. Conscientia verò denominatur recta ab objecto in genere causæ objectivæ, & quasi activè, in quantum conscientia ipsa in objecto regulativè causat conformitatem cum lege æterna: cum enim omnium veritas sit quædam conformitas cum objecto, etiam practica veritas debet esse talis; hæc tamen cum differentiâ, quod practica activè quasi sibi conformatur, speculativa quasi passivè conformatur objecto.

11. Dices secundò. Conscientia tanquam regula secunda, regulata & exemplata à prima regula, non potest esse recta, nisi sit conformis primæ regulæ, seu legi divinæ: sed non est conformis, quando est invincibiliter erronea: tunc enim lex

Divina actum prohibet, & dicitur esse illicitum, quem econtrâ conscientia dicitur esse licitum: ergò tunc non potest esse recta. Respondeo distinguendo minorem: non est conformis divinæ legi ut absolute respicienti talem actum vel objectum, concedo; & idè est speculativè falsa: non est conformis divinæ legi respicienti talem actum ut substantem tali invincibili representationi, nego. Sic enim dicitur, hunc actum formaliter esse honestum & licitum. Unde, si Jacobus Liz, invincibiliter existimatæ uxori, delictum denegasset, contra Divinam legem justitiæ peccasset.

Sed nunquid hac ratione Conscientiam invincibiliter errantem malè appellamus erroneam, cum potius deberemus appellare rectam juxta hæcenus dicta? Respondeo, quamvis Conscientia invincibiliter erronea à parte rei semper sit recta, utum tamen obtinuisse, ut omnia illa Conscientia dicatur erronea, quæ continet errorem sive practicum, sive speculativum, idèque in divisione conscientiæ in veram & erroneam, ly vera solet accipi pro veritate tam speculativa quam practica. Est verò aliquando loquendum cum multis.

## ARTICULUS II. De Conscientia erronea.

### SUMMARI A.

1. Exponitur Conscientia erronea.
2. Datur invincibilis ignorantia facti.
3. Item Juris positivi Civilis & Ecclesiastici.
4. Item Juris Divini positivi.
5. Non datur ignorantia invincibilis juris naturalis universi, & quoad notissima principia.
6. Datur quandoque in præceptis naturæ, quæ facili discursu ex primis principiis deducuntur.
7. Datur in præceptis naturæ, quæ obscurius ex primis principiis deducuntur.
8. Confirmat hanc ignorantiam experientia.
9. Absurda opposita sententia.
10. Invincibilis ignorantia in jure naturali inculpabilitas ostenditur.
11. Impugnatur doctrina Jansenii.
12. Quo sensu Scripturæ & PP. ignorantiam appellant peccatum?
13. Objectiones Wendrochii.
14. S. D. loquitur de vincibili ignorantia fidei.
15. Tertullianus & D. Augustinus exponitur.
16. Invincibiliter errans dirigit suos actus secundum legem justitiæ.
17. Nec est difformis Divino judicio quoad formalem bonitatem operationis.

### §. I.

#### Adstruitur invincibilis ignorantia facti & juris positivi.

1. Conscientia erronea dividitur in vincibiliter & invincibiliter erroneam. Error vel ignorantia vincibilis, quam in Tract. de Actib. hum. etiam consequentem diximus, est, quæ hic & nunc poterat & debebat adverti, seu quæ adhibito debito studio ac diligentia superari potuit,

eaque de causa sicuti non tollit voluntarium, ita neque actum peccaminosum à se indirectè causatum excusat à culpa; & sic pariter conscientia ex vincibili ignorantia dicitur licita, quod est illicitum, nunquam potest esse regula rectæ operationis, neque ab operatione sibi conformi illicitiam tollit; sive sit ignorantia juris h. e. legis prohibentis aut obligationis existens, ut si ignores, sitne usura illicita, sitne iste articulus fidei, sitne impedimentum dirimens conjugii in quarto gradu &c. ? sive sit ignorantia facti, ut si ignores, hunc, quem percussis, esse Clericum, hunc diem esse festivum, hanc femineam esse consanguineam, hoc animal, quod videt, esse hominem, hunc reum in judicio esse innocentem &c. Invincibilis ignorantia sive juris h. e. facti est, quæ adhibito debito studio ac diligentia superari non potuit. De qua ad subsequendum notitiam meliorem occurrunt plura ponderanda.

Et primò quidem dari ignorantiam invincibilem facti in confesso est apud omnes contra Guiliel. Paris. tract. de Legibus c. 21. citatum à Sairo thes. l. 2. c. 9. quia tunc datur invincibilis ignorantia, quando in mente nulla suspicio, dubietas, aut confusa saltem notitia oritur; sed in facto, vel aliqua facti circumstantia, etiam ad jus naturale pertinentibus hoc frequenter contingit, quæ cum in aliquo particulari & contingenti consistant, facile possunt hominis etiam sagacis notitiam fallere. Ita Jacobus, quantumvis sciret, jure naturali veritum esse accessum ad frumentam non suam, non tamen peccavit, Liam filiam pro Rachele vera uxore suppositam cognoscens, quia nullam habuit rationem dubitandi, an illa



effet sua uxor. Ita secundum S. Th. 1. 2. q. 75. a. 3. qui patrem occideret, invincibiliter ignorans esse patrem, etsi non ab homicidii, à culpa tamen parricidii abolveretur.

Ita si quis innocenter emit rem furtivam, comedit aut comedendum apponit cibum venenatum, quando bona fide rem furtivam, aut cibum venenatum esse ignorat, & juxta hominum prudentium nec venditor de re, an sit furtiva, nec medicus de cibo, an sit venenatus, solet consuli, nec alia rationabilis causa dubitandi suboritur. Quo casu ex conscientia invincibilis dictamine operans, semper inculpate, imò si alia debita requisita adfint, honestè operatur, quippe cui malitia operationis per ignorantiam antecedentem redditur penitus involuntaria & necessaria, nec proinde aliqua lege (qua pro materia requirit voluntarium liberum) hic & nunc vetita vel imputabilis; nullius enim crimen maculat nescientem, inquit S. August. tr. 89. in Jo. & non tibi imputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis querere, quod ignoras. l. 3. de lib. arbit. c. 19.

Idem secundò dicendum de Juris positivi, Civilis, vel Ecclesiastici ignorantia: nam licet in foro externo non facile audiatur, qui juris ignorantiam præterdit. Per Regul. 13. Juris in 6. ignorantia facti, non Juris excusat, id tamen contingit solum ex præsumptione, quâ quis post debitam legum promulgationem non facile illas ignorare præsumitur. Nihilominus cum humanae leges & statuta sint satis multa, quæ scire nec omnibus possibile est, nec necessarium, facile contingit, eorum aliqua, nullâ subortâ dubitatione ignorari, quam ignorantiam si quis legitime probet, ut si ostendat, se tempore factæ promulgationis absentem, furiosum vel amentem fuisse, etiam in foro externo audiendam & acceptandam fore colligit Sylvius ex c. cum in tua: qui matrimonium accusare possunt.

Unde hæc quoque Juris ignorantia invincibilis à peccato, & censuris illam consequentibus excusat.

Tertiò satis receptum est, etiam Juris Divini positivi ignorantiam invincibilem dari, eamque excusare à peccato. Nam juxta D. August. tract. 89. in Jo. & epist. 10. ad Xystum. & Doct. Angel. 2. 2. q. 10. a. 1. doctrinam, datur infidelitas negativa in iis, qui vel inter infideles nati, & educati, vel Pastorum defectu aut negligentia, vel propriâ hebetudine de fidei nostræ mysteriis nihil audierunt, nihil intellexerunt, quæ infidelitas non est peccatum, sed *pæna peccati* (saltem originalis) quomodo enim credent ei, quem non audierunt: quomodo autem audient sine predicante? Rom. 10. Ideo Christus Joan. 15. Si non venissem, inquit, & locutus fuisset eis, peccatum non haberent. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent &c. Et D. August. loc. cit. in Joan. respondens, an, ad quos non venit Christus &c. habeant excusationem de suo peccato? dicit habere illos excusationem non de omni peccato suo, sed de hoc peccato, quo in Christum non crediderunt.

Rationem dedit idem S. P. sup. n. 2. Oppositam sententiam damnarunt Sum. Pontiff. Pius V. R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. II.

Gregor. XIII. & Urbanus VIII. in hac propositione Bay. Infidelitas purè negativa in his, quibus Christus non est predicatus, peccatum est.

## § II.

An & quando dari possit invincibilis ignorantia juris naturalis?

Nec quartò negari potest, etiam dari invincibilem ignorantiam Juris seu legis naturalis: nam licet certum sit, non dari invincibilem ignorantiam in adulto, quoad universam naturæ legem, & quoad prima notissima & universalissima præcepta naturæ, quale est illud: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; de quo D. August. in Psal. 57. hoc & antequam lex daretur, nemo ignorare permittus est, ut esset, unde judicarentur, & quibus lex non esset data. Unde D. Th. 1. 2. q. 94. a. 6. de istis præceptis: quantum ad præcepta communia, quæ sunt omnibus nota, lex naturalis nullo modo a cordibus hominum deleri potest in universali: nihilominus magnum est discrimen inter præcepta naturæ, quæ ex iis moralibus notissimis principiis per discursum deducuntur. Nam aliqua ita facile & per se ex illorum noticia consequuntur, ut absque supina negligentia eorundem consequentia ignorari non possit; alia verò difficilius discursu obscurius deducuntur, & vis consequentia non nisi à Sapientioribus penetratur, prout agnoscit S. D. 1. 2. q. 100. a. 11.

Primi generis præcepta absolute considerata saltem ad longum tempus (nam ad breve tempus fortè in pueris ad pleniorum usum rationis tardè venientibus etiam hæc præcepta invincibiliter ignorantur) ignorari non possunt: nam esto, quòd pravâ consuetudine furtum reputetur licitum, tamen modicâ discurrendi facultate ex illo notissimo principio: quod tibi non vis fieri &c. absque labore inferitur: Non furtum facies. Dixi: absolute considerata: nam ut optimè advertit Sylvius 1. 2. q. 76. a. 3. quæst. 2. Conclus. 3. Si illa quoque præcepta notabili circumstantia à peccato excusante afficiantur, ab aliquibus etiam longo tempore invincibiliter ignorari possunt, eò quòd ex tali circumstantia efficiantur obscura, quæ ex se clara videbantur. E. g. clarum est, mendacium, furtum, homicidium, perjurium esse peccata, sed non ita clarum est, sine peccatum falsâ calumniâ falsam calumniam depellere, pejerare, mentiri ad servandam vitam propriam, amici, Principis, occidere seipsum ad vitanda tormenta gravissima, castitatem conservandam, interficere hominem sine spe vitæ cum gravissimis doloribus luctantem, & interficere rogantem, prout Amalecites Saullem interfecit.

Secundi generis præcepta in hominibus non tantum infidelibus, sed etiam fidelibus aliquando invincibiliter ignorantur; non enim ita sunt obvia, ut non etiam Sapientissimi aliquando de illorum veritate dubitent, vel omninò negent. Nam primò æquè Sapientissimus ac Sanctissimus P. Augustinus [referente Esparza append. p. 1. a. 2. & Herinck p. 2. disp. 1. q. 7. num. 60.] l. 1. de Serm. Dom. in monte, dicitur, an uxor à marito dimissa committat peccatum mortale, si alteri marito priori adhuc vivente copuletur? Dicit enim: Si autem dimittatur à viro, cum quo esse



esse cupiebat, mœchatur quidem, qui eam duxerit secundum Domini sententiam, sed utrum & ipsa tali crimine teneatur incertum est. Relato deinde miserabili casu, quod Antiochia debitor in vincula compactus à creditore mortem minitante, ni solveret, uxori suæ licentiam dederit, ut pareret sollicitationi hominis prædivitis, pecuniam pro mariti liberatione offerentis, si ipsa unâ nocte sui copiam faceret; non audet fœminam de adulterio concubitu condemnare; nihil hic, inquit, in alteram partem disputo, liceat cuique estimare, quod velit. Cassianus & Marulus [teste Sylvio quæst. 2. conclus. 4.] aliique tradiderunt, mendacium officiosum esse licitum. Durandus in 4. dist. 33. quæst. 2. Stando in jure naturali fornicationem non esse graviter vitatam existimavit. Quid quod Jura quoque Civilia permiserint marito necem uxoris in adulterio deprehensa, tanquam ex justa indignatione illatam, quæ in hoc puncto à Jure Canonico corriguntur? ut nil loquar de sapientioribus Ethnicis, è quibus Plato dicebat mendacio utendum esse tanquam helleboro, hoc est, tanquam remedio contra gravissimum, quod è confessione veritatis oritur, discrimen. Cicero de offic. l. 1. agnoscit licitam esse injuriæ illatæ vindictam. Et Tuscul. quæst. 1. fas esse sibi mortem consciscere ad graviorem miseriam declinandam. Ex quibus hoc fit manifestum, quædam præcepta juris naturalis non adeo perspicuè etiam à sagaciori intellectu è primis morum principis derivari; ac proinde saltem à rudioribus, aut Christianæ legis, morumque instructione destitutis absque alia negligentia suæ culpa ignorari.

8. Confirmat eandem ignorantiam experientia Confessariorum, qui deprehendunt, aliqua ab adolescentulis alioquin DEUM timentibus, ignoranter contra legem naturæ patrata, quorum serupulus nonnisi post aliquod tempus & majorem judicii maturitatem suboritur. Vasq. disp. 122. c. 2. affirmat, visum à se rusticum, qui se opus pietatis committere existimabat, si ægrum mortis angoribus pressum, in alteram partem versaret, quò citius animam exhalaret; atque se sufficienti examine hunc errorem inculpabilem in rustico deprehendisse. Ipsimet in Scholis experimur difficultatem in usuræ, duelli, suicidii (ut vocant) malitiâ, perspicuè ex solutis objectionibus ostendendâ. Viguerunt pariter & vigent etiamnum inter sapientissimos Doctores gravissima controversiæ de veritatibus ad jus naturæ pertinentibus. Ita plurimi cum Doct. Angel. affirmant, reum ex privata Judicis sententia innocentem, secundum allegata & probata noxentem, licitè, imò obligatoriè, capitali sententia damnari: alii negant. Censuræ utrinque redimibilis à quibusdam velut usurarius rejicitur, ab aliis ut justus & legitimus admittitur. Reum justè damnatum ad sumendum venenum, ad pugionem pectori infigendum, posse tanquam executorem justæ sententiæ propriâ manu applicare venenatum calicem, infigere pugionem pectori cum Haunoldo defendunt plures graves DD., alii contra negant. Olim ante Concilii Lateran. declarationem sess. 10. magna erat discipatio, num montes pietatis essent liciti, vel

usurarii, &c. Et quis alterutrius partis Doctores culpabilis errori subiciat, nihil temerè sed rationibus utrinque maturo judicio expensis suam opinionem pronuntiantes? quod tamen est faciendum iis omnibus, qui juris naturalis invincibilem negant ignorantiam.

Adde varia absurda. Nam quæ amplius impropudiosiores erit securitas in inveniendis contractibus, si quantumvis approbent viri docti, Pastores, Doctores & licitum censeant, tamen fieri possit, ut parte rei contractus sit illicitus, & juri naturæ contrarius? tunc enim nec contrahentem, nec consulentes bona fides & ignorantia excusabit, quin culpabilis legem naturæ ignorans, adeoque peccator. Sed neque Theologi poterunt amplius casus resolvere, neque Justitiæ sententiam ferre, ne alios involvant periculo agendi contra jus naturæ, quod per Adversarios nemini invincibiliter ignorare concessum est. Datur ergo etiam juris naturalis invincibilis ignorantia, quippe quæ humano studio superari non semper potest.

## §. III.

## Propugnatur inculpabilis ignorantia juris naturalis contra Janzenium.

Hinc consecutaneè inferitur contra Janzenium, Sinnichium in Saule Ex- Rege n. 360. & seqq., & fictitium illum Theologum Salisburgensem Wendrochium, invincibilem ignorantiam Juris naturalis modò assertam, esse inculpabilem, & à peccato formali excusare. Ad rationem namque peccati pertinet voluntarium & liberum: sed transgressio legis naturalis invincibiliter ignorata nec est voluntaria, nec libera; ergo non est peccatum. Major est implicite definita à Pio V. Greg. XIII. & Urbano VIII. damnantibus hanc propositionem Bay nostre contradictoriè oppositam. *Ad rationem & definitionem peccati non pertinet ratio voluntaria: Et istam: Homo etiam peccat damnabiliter in eo, quod necessario facit. Est etiam Divi Augustini pluribus locis. In lib. de 2. animab. refert illam propositionem tanquam omnibus notam & decantatam. Nemo peccat in eo, quod vitare non potest. Et l. 3. de lib. arbit. supra cit. c. 19. quem locum allegat, simulque disertè hanc sententiam tradit D. Th. q. 7. de pot. a. 7. a. 3. his verbis: Dicendum, quod ignorantia, quæ est omnino involuntaria, non est peccatum. Et hoc est, quod Augustinus dicit, non tibi imputatur ad culpam, si invitus ignores. Rursus idem D. Augustinus de verit. Relig. c. 14. Usque adeo, inquit, peccatum voluntarium est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium. Et hoc ita manifestum est, ut nulla indoctorum turba dissentiat. Accedit, quòd juxta Trid. Sess. 6. can. 6. si in potestate hominis vias suas malas facere, neque DEUS præcipiat impossibilia: sed evitare id, quod invincibiliter ignoratur, non est in hominis potestate, neque proinde à DEO præcipitur: ergo, si homo ex illa invincibili ignorantia operetur, non facit vias suas malas, neque Divino præcepto [formaliter] contrariatur. Major est certa, quia quod nullo modo cognitum, illud non est liberum aut voluntarium; ipso assente Janzenio l. de grat. Christi*



Christi c. 26. & illud solum dicente esse in nostra libera potestate, quod sit a voluntate cum plena advertentia rationis. Unde in Tract. de Act. hum. dictum: per ignorantiam invincibilem casuali involuntarium simpliciter.

Hinc colliges, falsam esse causalem Janseii, quod ideo ignorantia Juris naturalis sit potius peccatum, quam ignorantia Juris positivi, quia illa est poena peccati originalis, non ista. Nam primò: non minus ignorantia Juris naturalis potest esse invincibilis, quam Juris positivi: sed hæc non est peccaminosa, quia ratione invincibilitatis est antecedens, necessaria, involuntaria: ergo nec illa. Secundò, etiam ignorantia Juris positivi est quoddam vulnus intellectus, & miseria nature: ergo & ipsa est poena & effectus originalis peccati. Tertiò, ignorantia legis Evangelicæ est ignorantia Juris positivi: sed in infidelibus negativè, qui nihil audiverunt de Evangelii prædicatione, infidelitas est poena originalis peccati: ergo aliqua ignorantia Juris positivi est poena originalis peccati. Quartò, sequeretur, hanc ipsam infidelitatem negativam, uti & motus concupiscentiæ, consensum rationis prævenientes, imò & eidem repugnantem esse peccata, eò quòd sint poena & effectus peccati originalis, quorum utrumque est contra definitionem Ecclesiæ, & doctrinam D. August. ac D. Thomæ. Nam quòd infidelitas negativa non sit peccatum, definierunt Summi Pontifices sup. n. 3. relati: docuit quoque D. August. epist. 10. dicens: *In illis, qui non audiverunt, neque potuerunt, pena peccati est non credere, non autem peccatum.* Et D. Th. 2. 2. q. 10. a. 1. *Si infidelitas accipitur secundum negationem veritatis, sicut in illis, qui nihil audiverunt de fide, non habet rationem peccati, sed magis poena: quia talis ignorantia ex peccato primi parentis consecuta est.* De concupiscentiæ motibus Trid. Sess. 1. c. 5. *Concupiscentiam nocere non posse non consentientibus.* D. August. l. 1. De civitate cap. 21. *Ille concupiscentialis inobedientia, quanto magis absque culpa est in corpore non consentientis, si absque culpa est in corpore dormientis?*

Si quando igitur Scriptura, vel PP. ignorantiam peccatum appellat, id faciunt vel nomine peccati metonymicè significando effectum peccati (quo sensu scimus concupiscentiam ab Apost. peccatum appellari) ut agnoscit D. Augustinus l. 3. de lib. arbit. c. 19. dicens: *Non solum peccatum illud dicimus, quod propriè vocatur peccatum [libera enim voluntate, & a sciente committitur] sed etiam illud, quod jam de hujus supplicio consequatur, necesse est.* Vel est sermo de peccato materialiter, non formaliter accepto: vel intelligunt ignorantiam vincibilem, & consequentem, de qua D. Bernard. epist. 77. *Multa scientia nesciuntur, aut sciendi incuria, aut sciendi desidia, aut verecundiâ inquirendi, & quidem ejusmodi ignorantia non habet excusationem.* Ideò, cum Levit. 5. præcipiuntur Sacrificia à Pontifice offerenda pro sua & populi ignorantia. Cum David Psal. 24. orat: *Delicta juventutis mee, & ignorantias meas ne memineris.* Cum Lucæ 12. ignorantibus poena indicitur: *Qui non cognovit, (voluntatem Domini) & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* de vincibili adeoque culpabili

R. P. Mexg. Theol. Schol. Tom. 11.

ignorantia Scriptura loquitur: prout hunc Lucæ textum exponit Theodoretus à D. Thoma in Catena super Lucam relatus. *Sed cur punitur ignorans? quia, cum ipse potuisset, noluit, sed pigritans ipse fuit ignorantia sua causa.*

§. IV.

Solvuntur Objectiones.

Opponit tamen Wendrochius primò celebre illud effatum Angel. Doct. quodl. 3. a. 10. *Nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicujus magistri, in talibus enim ignorantia non excusat.*

Secundò. Illud Tertull. de Spectac. c. 20. *Nunquam excusatur, quod DEUS damnat. Nusquam & nunquam licet, quod semper & ubique non licet. Hæc est veritatis integritas, &c. omnia penes veritatem DEI fixa sunt.*

Tertiò. Felix III. Pontifex Max. affirmat, non esse in hominum potestate, contra legem æternam agentes peccato liberare: ita enim inquit epist. 7. *Quòd se decipit ipse, qui fallit, nihilque per nostram facilitatem tribunalis excelsi judicio derogari, cui illa sunt rata, que pia, que vera, que justa sunt.*

Quartò. Augustinus epist. 104. *Si quis bonum putaverit esse, quod malum est, hoc putando utique peccat. Et: Ea sunt omnia peccata ignorantia, quando quis bene fieri putat, quod male fit.* Unde Gratianus r. quæst. 4. *Ignorantia Juris naturalis omnibus adultis damnabilis est.*

Quintò. August. Serm. 44. de diversis c. 6. *Nisi quis secundum justitiæ regulam direxerit actus suos, in errore iniquitatis impingitur.* Subsumitur: sed qui ex ignorantia aliquid agit contra legem DEI, non dirigit actus suos secundum justitiæ regulam: ergo in errore iniquitatis impingitur.

Sextò. Illud: *Justus ex fide vivit.* Rom. 1. omne, quod non est ex fide, peccatum est. c. 14. quibus significatur [exponit Wendrochius] tum demum justas ac vivas hominis actiones, cum lumine fidei diriguntur, malas esse, si non diriguntur. Sed qui falsam opinionem sequitur, ratione fortasse vivit, fide non vivit, quia fides falsa, fides non est, inquit D. Bernard.

Septimò. Nil crebrius in S. Script. quàm quòd omnes via DEI veritas. Psal. 118. alia esse judicia DEI, alia hominum. *Esse viam, qua homini videtur recta, cujus novissima ad mortem ducunt.* Proverb. 16. *Christus ipse Jo. 12. Sermo, quem locutus sum, ipse judicabit eum in novissimo die.* Quæ omnia ostendunt, vitam non ad humanas opiniones, sed legis Divinæ normam exigendam, nec excusandum fore, qui propriâ perluasione in ignorantiam & errorem abductus à semita æternæ veritatis deflexerit.

Respondeo. Omnia hæc argumenta nimium probare, ipsismet adversariis solvenda: Probant quippe, nec Juris positivi, præsertim Divini ignorantiam à peccato excusare. Et ad 1. constat S. D. loqui de vincibili erronea opinione, non tantum Juris naturalis, sed fidei, cujus falsitas ex recurſu ad S. Script. & Ecclesiæ auctoritatem deprehendi potuit, ut patet ex sequentibus ipsius verbis: *Qui ergo assentit opinioni alicujus magistri*

P 2 contra



contra manifestum scripturae testimonium, sive contra id, quod publice tenetur secundum Ecclesiae auctoritatem, non potest ab erroris vitio excusari

15. Ad secundum. Locus ille Tertulliani tantum probat, legem naturalem esse immutabilem, ex quo tamen non sequitur, ad culpam imputari, quod ex invincibili ignorantia contra illam committitur: tale enim factum nec DEUS damnat, qui non aliter ad sequendam suam legem nos obligat, nisi quantum illa per rationem est intimata atque propolita.

Ad tertium. Felix Papa sufficienter declarat, sibi de vincibili falsitate sermonem esse, cum illam facilitatem, h. e. nimis facilem credulitatem & assensum appellat.

Ad quartum. D. Augustinus seipsum in textibus supra allegatis satis explicat, & de vincibili ignorantia intelligendum insinuat. Idem dixeris de sententia Gratiani, quamvis etiam videatur juris naturalis nomine intelligere prima vel notissima morum dogmata, quae nec vincibiliter, nec inculpatè ignorari, ultrò concedimus.

16. Ad quintum nego, quòd, qui cum invincibili errore contra naturae legem operatur, non diri-

gat actus suos secundum justitiae legem, cum non alia sit operantis intentio, quam velle operari quod omnibus bene pensatis hic & nunc Divinae justitiae & regulae consentaneum arbitratur, quamvis in istius regulae applicatione ipsam falli contingat.

Ad sextum: si quid ille locus Apostoli in praesens probaret, etiam illud haereticum dogma probaret: Omnes infidelium operationes esse impuras & peccaminosas, quippe influxu fidei deturatas. Primus igitur locus plus non probat, quam primum vitae spiritualis initium fidem esse. Alter locus sequenti articulo exponetur.

Ad septimum. Haud dubie alia sunt iudicia DEI, quam hominum, sive homo vincibiliter sive invincibiliter, sive in materia Juris naturalis, sive positivi à regula Divinae legis exorbitat; hoc tamen discrimine, quòd invincibilis error aliud est iudicium DEI tam de materiali, quam de formali bonitate operationis; in errore vero vincibili est aliud tantum quoad materiale ipsius bonitatem, non autem formalem, ellaque proinde difforme iudicio hominis speculativo, non autem practice practico.

## ARTICULUS III.

### Quae sit obligatio Conscientiae rectae & erroneae?

#### SUMMARI A.

1. Conscientia semper obligat negativè.
2. Erronea obligat per accidens.
3. Invincibiliter erronea positivè, vincibiliter erronea tantum obligat negativè.
4. Quid in casu, quo conscientia vincibiliter erronea dicitur esse pejerandum?
5. Perplexitas orta ex conscientia vincibiliter erronea non excusat à peccato.
6. Disparitas inter iudicium conscientiae vincibiliter & invincibiliter erroneae.
7. Agere contra conscientiam non est speciale peccatum.
8. Conscientia proponens obligationem sub veniali excusat à mortali.
9. Quid si Conscientia proponat objectum sub generali ratione prohibiti?
10. Perplexitas ex invincibili errore excusat à peccato.
11. Obligatio Conscientiae est indispensabilis.
12. Magis obsequendum Conscientiae, quam praecepto Superioris.

#### §. I.

##### Discrimen inter obligationes Conscientiae.

1. Conscientiam consulentem, quae dicitur aliquid agendum, vel omittendum per modum consilii, nullam parere obligationem, certum est. Atqui, cum Conscientia dicitur aliquid tanquam ex praecepto faciendum, vel omittendum, sive sit recta, sive erronea, semper obligat, ne quis contra ipsam operetur. Ita S. D. I. 2. q. 19. a. 5. universaliter affirmans: *Omne, quod est contra Conscientiam, peccatum est.* Et quodl. 3. a. 27. *Omnia Conscientia sive recta, sive erronea, sive per se mala, sive indifferentibus est obligatoria, ita ut,*

qui contra Conscientiam facit, peccat. Probat hoc Apostolo Rom. 14. dicente, *omne quod non est ex fide, peccatum est.* Ubi ex S. D. & communiter interpretum acceptione ly ex fide, idem est, quod ex dictamine Conscientiae: neque enim Apostolus loquitur ex fide Divina, speculativa, supernaturali [ ut testatur Tirinus allegans in hunc sensum S. Chrysostomum, Ambrosium, aliosque PP. ] sed humana, morali, particulari, hoc est, illa credulitate & assensu practico, quo mihi persuado, id licere, quo hic & nunc tali modo operor. Loquitur namque Divus de Conscientia erronea quorundam Neo-Christiano, qui cibos Judaeis in antiqua lege prohibitos, etiam sibi in nova lege interdicitos existimantes, iisdem nihilominus vescabantur.

Ratio est: quòd lege naturali cautum sit, ne quis operetur contra praeceptum DEI, quod revera est, vel esse existimatur, & hoc ipso hominem peccare necesse sit, si ligat objectum sibi propositum tanquam moraliter malum; sed quisquam agit contra conscientiam, agit contra praeceptum DEI, quod revera est, si conscientia licet errata, vel tale existimatur, si conscientia sit erronea, ergo peccat contra legem naturalem sedendo objectum, quod sibi hic & nunc inhonestum & vitium apparet.

Est tamen duplex valde notabile discrimen inter obligationem conscientiae rectae & erroneae. Nam primò; *Recta* (inquit S. D. q. 17. de Verit. a. 4.) *ligat simpliciter, & per se, erronea autem secundum quid, & per accidens.* Dico autem ligare simpliciter, quia ligat absolute, & in omnem eventum; erronea ligat ex suppositione, & sub conditione, quòd credatur esse recta.



3. Secundò, Recta & invincibiliter erronea non tantum obligat negativè, h. e. ne agamus contra conscientiam, sed positivè, ut illam sequamur, & faciamus, quod illa præcipit: atqui vincibiliter erronea tamen obliget negativè modo prædicto, non tamen obligat positivè, ut illam sequamur, & faciamus, quod illa præcipit, prout contra Medicam Jo à S. Th. Ildesons, Casaraug. bene docet cum D. Bonavent, Valquez, Valentia, Tannerus, Sylvius q. 19. a. 5.

Ratio differentia est, quod in conscientia recta & erronea invincibili non datur medium inter positivè operari juxta conscientiam, & operari contra conscientiam, ideoque quisquis obligatur non operari contra conscientiam, hoc ipso debet operari juxta dictamen illius conscientia. In conscientia verò vincibiliter erronea datur medium inter operari juxta conscientiam, & non operari contra conscientiam, nempe deponere conscientiam Unde, tamen habens conscientiam vincibiliter errantem teneatur non agere contra illam, non ideo tamen teneatur illam sequi, sed deponere. Alias certè quis posset obligari lege ad actum imprudentem, formaliter vitiosum, quod est impossibile; tum quia DEUS esset moralis causa formalis malitiæ; tum quia talis actus esset conformis, & non conformis legi Divina: conformis, quia consonus obligationi legis Divina; non conformis, quia formaliter malus, adeoque difformis. Sequela probatur. Actus, quo quis sequitur conscientiam vincibiliter errantem, est imprudens & formaliter inhonestus: sed si conscientia vincibiliter erronea positivè obligat, ad est obligatio legis Divinae ad talem actum hic & nunc operandum, siquidem conscientia non obligat nisi in virtute legis Divinae, cui quædam intimatio, & participatio ipsius; non enim conscientia dicitur, aliquid esse faciendum hac ratione, quia sibi videtur; sed hac ratione, quia à DEO præceptum est, ait Angelicus Doctor in 2. dist. 39. a. ult. ad 3. ergo in hac hypothesi lege Divina obligat ad actum imprudentem formaliter malum & vitiosum.

## § II.

## Solvuntur Objectiones.

4. Obijcies. Sit invincibiliter erronea conscientia, quæ dicitur esse pejerandum ad servandam vitam proximi; per hanc obligatur aliquis ad non agendum contra illam; ergo obligatur ad non omittendum perjurium: sed non omisso perjurio est ipsum perjurium: ergo obligatur positivè ad ipsum perjurium.

Respondeo distinguendo majorem: obligatur ad non agendum contra conscientiam indeterminatè vel sequendo conscientiam, vel agendo quod conscientia opponitur, concedo; tantum determinatè omittendo rem præceptam, nego; ergo obligatur ad non omittendum perjurium, nisi sit obligatus ex parte conscientia, ad illam deponendam, concedo; secus, nego hanc alteramque consequentiam.

Igitur, cum dicimus, teneri quemlibet non agere contra conscientiam, volumus, quod sit obligatus, ne simul habeat conscientiam prohibentem & actum oppositum, vel conscientiam præci-

pientem, & omissionem rei præceptæ: idcirco si conscientia non potest deponi, obligatio non agendi contra conscientiam tota est ex parte actus præcepti, vel prohibiti. Cum verò potest & debet deponi, tum obligatio se tenet ex parte conscientia deponenda, non actus ponendi.

Nec refert, quod hac ratione homo in vincibili ignorantia constitutus foret perplexus, & necessitatus ad peccandum; quia, si ve pejeret ad servandam vitam proximi, si ve non pejeret, peccabit, inde violando præceptum non pejerandi, hinc agendo contra conscientiam. Hæc enim perplexitas non est simpliciter sed secundum quid, & necessitas peccandi non est nisi consequens, & ex suppositione malitiosæ voluntatis, conscientiam errantem, cum posset, deponere nolentis: quo modo etiam parochus potest necessitatem peccandi incurere, si, cum ex justitia vel charitate tenetur administrare Sacramentum, nolit se per præviam dispositionem in gratia statum [à quo excidisse se meminit] reponere: tunc enim, si ve administret, si ve non administret Sacramentum, peccabit; illa quippe necessitas, cum sit consequens ex suppositione prævæ voluntatis, operantem à peccato non excusat.

Inquis. Non minus judicium rationis invincibiliter, quam vincibiliter errantis est contrarium legi Divinae, dum ista prohibet v. g. perjurium quod illud præcipit; utraque verò conscientia si ve vincibiliter si ve invincibiliter erronea proponit objectum tanquam præceptum vel prohibitum Lege Divina: Unde S. D. q. 19. a. 5. ad 1. *Quamvis rationis errantis judicium non derivetur a DEO, tamen ratio errans illud suum judicium proponit tanquam derivatum a DEO*: ideoque conscientia erronea etiam non per se, per accidens tamen obligat in virtute præcepti Divini: ergo vel utraque conscientia, vel neutra obligat positivè.

Respondeo disparitatem esse utrinque: nam rationis invincibiliter errantis judicium speculativum quidem discordat à lege Divina, non autem practicum: at rationis vincibiliter errantis judicium tam speculativum quam practicum à lege Divina discordat. Dictamen conscientia invincibiliter erroneæ est prudens & practice verum, ideoque in virtute præcepti Divini ad talem materiam prævio judicio speculativo erroneè applicati, positivè per accidens obligat. Dictamen verò conscientia vincibiliter erroneæ est imprudens, & practice falsum, nec proinde etiam per accidens in virtute præcepti Divini ad se positivè sequendum obligare potest. Utraque quidem conscientia proponit suum objectum tanquam lege Divina præceptum, aut vetitum; sed invincibiliter erronea prudenter, altera imprudenter. Ideo Lex Divina dicitur quidem contrarium illius, quod dicitur conscientia invincibiliter errans, materialiter & speculativè, non autem formaliter & practice sumpta: *Non enim errat formaliter objectivè, seu quantum ad rationem formalem, errat autem quantum ad materialem*, inquit S. D. q. 17. de verit. a. 4. Errat, inquam, conscientia dictans, pejerandum ad servandam vitam proximi, quod est judicium speculativum & materiale; non errat, judicans se per hoc, im-



plendo præceptum charitatis, honestè operari, quod est iudicium formale & practicum, attingens observantiam legis tanquam rationem formalem objecti; sub priori ratione non est à DEO, nec derivatur à lege Divina: sub posteriori est à DEO & lege Divina, quæ præcipit, legi obsequendum.

## §. III.

*Conscientia.*

7. **T**ransgressio tamen hujus obligationis, quam conscientia inducit, seu agere contra conscientiam, non est speciale peccatum, distinctum à transgressione præcepti, quod per conscientiam observandum proponitur: e. g. conscientia dicitur, esse Sacrum audiendum ex præcepto Ecclesiastico; non audiendo Sacrum non committis duo peccata, sed unum contra præceptum Ecclesiæ per conscientiam propositum.

Ratio est primò: quia generalis conditio, quæ pleraque peccata comitatur, non causat distinctam malitiam: sed agere contra dictamen conscientia est generalis quædam conditio, quæ comitatur omnem actum peccati directè, & voluntarium formale: ergo.

Secundò: quia promulgatio, intimatio, & applicatio legis non constituit distinctum præceptum, aut speciem moris ab ipsa lege, quæ per illam proponitur: sed conscientia est quædam promulgatio & intimatio præcepti, siquidem ipsa ostendit & dicitur, quidnam sub præcepto sit faciendum, vel omittendum: ergo ipsa non constituit distinctam obligationem vel præceptum ab illo, quod observandum proponit, adeòque ipsius transgressio non causat distinctum peccatum. Ideo species malitiæ moralis in peccato contra conscientiam desumenda est à specie objecti, circa quod actus versatur, e. g. non audiendo Sacrum, quod ex præcepto esse audiendum monet conscientia, peccas contra virtutem religionis, sub cujus motivo illud audiendum præcipitur: non pejerando ad servandam vitam proximi, cum jubet conscientia erronea, peccas peccato homicidii contra charitatem proximi, cujus obligatio tibi hic & nunc per conscientiam proponitur.

8. Hinc etiam contingit, ut, si conscientia proponat alicujus præcepti obligationem sub mortali, agere contra conscientiam sit mortale; si sub veniali, sit veniale peccatum: nisi per vincibilem errorem levis obligatio videatur, quæ de se gravis est; tunc enim agens contra conscientiam non excusabitur à mortali.

9. Sed quid si conscientia representet objectum sub generali ratione prohibiti & mali, nil determinando, essetne graviter vel leviter, mortaliter vel venialiter malum, an tunc mortaliter vel venialiter peccabit, qui contra conscientiam operatur? Navarrus & Valentia existimant, peccari solum venialiter, eò quòd apprehensio malitiæ in genere sit apprehensio malitiæ adhuc imperfectæ in genere mali. Alii, ut Vasquez, Sairus verisimiliter censent, peccari mortaliter; quia, qui

taliter operatur sine ulteriori discussione & examine malitiæ, temerè se committit periculo peccandi mortaliter. Nihilominus videtur esse attendendum ad duo: primum est, an operans in confuso saltem suspicatus fuerit aliquod periculum peccandi mortaliter? Alterum, an soleat frequenter peccare mortaliter, fueritque constitutus in ea animi propensione, & preparatione, ut, licet adverteret gravitatem peccati, nihilominus opus præstitutum perficeret; & tunc agere contra conscientiam, erit peccatum mortale, quia taliter operans est paratus committere peccatum qualecunque sit, sive mortale, sive veniale; atque hoc ipso se committit probabili & proximo periculo peccandi mortaliter, & amittendi amicitiam Divinam. Si verò operans sit timorata conscientia, & soleat abhorreere à gravibus offensis DEI, nec ipsi aliqua suspicio gravioris offensæ in mentem venit, non esset ideo condemnandus peccati mortalis, quod contra conscientiam fecerit, siquidem in his circumstantiis non censetur se voluisse committere proximo periculo peccandi graviter.

In casu autem perplexitatis, quo per vincibilem errorem utraque pars contradictionis iudicatur esse prohibita & peccaminosa, e. g. si parochus post Sacrum jam celebratum adveniente magna populi multitudine, & die festivo Sacrum expectante, iudicet utrumque esse malum, & populum dimittere sine Sacro, & Sacrum iterare, non peccabit eligendo alteram partem, in qua putat minorem malitiam reperiri; tunc enim debet sequi illam regulam, quòd è duobus malis minus est eligendum: & defectu sufficientis libertatis ad evitandum peccatum, electio illius partis ad peccatum non poterit imputari.

Cæterum tanta est Conscientia vis obligandi, ut agere contra conscientiam (1) nec Divinitus sit dispensabile: & (2) cum propria conscientia dicitur aliquod oppositum præcepto Superioris, potius conscientia, quàm præcepto sit obsequendum; nisi forte conscientia sit vincibiliter erronea, & ex illo principio, tutum esse sequi mandatum Superioris, facile deponi possit.

Ratio primi est: Quòd in re intrinsecè mala DEUS dispensare non potest: atqui agere contra conscientiam est intrinsecè malum, quia est velle objectum cognitum sub ratione mali. Implicat etiam, DEUM simul obligare, & deobligare. Obligaret autem per conscientia dictamen, deobligaret per dispensationem, si daretur.

Ratio secundi est: quia obligatio legis Divina præponderat obligationi præcepti & legis humanae: *Obedire enim DEO oportet magis, quam hominibus.* Act. 5. nec Legislator inferior derogare potest legi Superioris: sed obligatio conscientia est virtualiter obligatio legis Divinae. Ergo præponderat præcepto humano Superioris: dixi tamen: *nisi sit conscientia vincibiliter errorata.* Quia cum subditus habet conscientiam vincibiliter erroneam, ut plerumque contingit, quoties præceptum Superioris non continet manifestum errorem, tenetur illà deposità Superioris mandato se conformare.